

enim obtinet in criminalibus Jurisdictionem, æquum est, ut is subinde pro istius exercitio in certis casibus ferat sumtus, De quibus infra *ad artic. 204.* plenius dicetur.

III. *Tertia pars hujus articuli* est de Judice, qui non servatō Juris ordinē contra Constitutionem Imperialem & ita planē illegitimē & injustē reum torturæ subjecit; Is sanē hoc non potest inultum ferre, sed propterea meritō punitur. Quomodo autem sit puniendus, illud *ad artic. 20.* plenius exposui; quibus addi poterunt, quæ tradit Stephanus *ad hunc artic.* Vide & Sebastian. Gvazzinum *Tom. 2. ad Defensam. Defens. 30. cap. 42. fol. 127. per tot.* Interea ob excessum in tortura iudices possunt conveniri coram immediato suo Magistratu, ut coram eo rationem tanti excessus reddant, & pro ratione circumstantiarum ab eodem puniantur.

Ubi notandum, quòd in dubio, an reus justē & legitimē, an verò injustē & indebitē fuerit tortus, præsumtio non sit pro Judice, quod legitimē circa torturam processerit, licet aliàs præsumatur pro eo, quod illa, quæ ab ipso acta sunt, legitimē celebrata sint, *c. 23. Ext. de Elect. & Electi potestate.* Etenim si ostendatur contrarium, præsumtio Juris est pro reo contra Judicem, quod injustē is torturam decreverit. *Wesemb. in Parat. ff. de Question. num. 9. fol. 353.* nisi ipse probaverit, sufficientissima indicia fuisse præsto, quibus ipse commotus fuerit ad torturam decernendam; & subinde ostenderit, quod in modo torquendi à se præscripto nihil dolo, odio, vel etiam malitiæ dederit, sed cuncta juxta rationem justitiæ ad veritatis inquisitionem prudenter ordinaverit & carnifici præceperit exequenda, *Vide Mantz. ad h. art. num. 34. 35. & seqq. p. 260.*

## ARTIC. LXII.

*Accusatorem probare volentem, audiendum esse.*

*Von Beweifung der Miffethat.*

**W**enn der Beklagte nichts bekennen / und der Ankläger die beklagte Mißhandlung beweifen wolt / damit soll er / als recht ist / zugelassen werden.

AD ARTIC. LXII.

## ARGUMENTUM.

*Reo delictum confiteri nolente, Accusator ad probandum, modo etiam is delictum probare velit, secundum Juris dispositionem admitti debet.*

Ee 3

EXEGE